Arngrimus Jonæ:

Apanasia

Gudbrandi Thorlacii.

ΑΘΑΝΑΣΙΑ
Sive
Nominis ac famæ
IMMORTALITAS
REVERENDI AC INCOMPA-rabilis Viri,
DN. GUDBRANDI THORLACII,
Superintendentis Borealis Islandiæ digniſs. vigilantiſs. Oratione Parentali, de ejusdem, VITA, VITÆQUE clauſula,

per
ARNGRIMUM JONAM, Islandum
aſſerta.

In memoria æternâ erit Juſtus.

HAMBURGI
Ex ſcriptis Litteris per Johannem Moſen,
Anno M. DC. XXX.

CRedo ego, vel maximè, si quis fortè dictitet, L. L. humaniss. miraturos, non quidem in curiâ Romanâ Patres conscriptos; sed tamen, in theatro Orbis Arctoi plærosque, quibus hæc, ut viri moribus eduntur: & apud quos Reverendi & Clariss. Viri, *Dn. Gudbrandi Thorlacii*, nomen: meaque vicissim tenuitas, vel levi saltem famâ percrebuit! miraturos inquam credo: Quid sit! quod hoc mihi sumserim negocii, De ejusdem excellentiss. viri, *vitâ & obitu* dicendi vel scribendi: Ego sanè præ cæteris, à quibus hoc officii expectari poterat, tam judicio quam facundia destitutus. Requirit siquidem, *nominis Gudbrandini Celebritas*, celebre quoque in dicendo & scribendo, ac exercitatum bona ex parte ingenium: Qualibus certè ingeniis aliquot, hac tempestate, Deus Islandiam fæcundavit. Iis ego, licet multis ætate superior; tamen quà animi dotes, non comparandus; nedum præferendus fuero. *GUDBRANDI THORLACII.*

In his autem facilè eminet, *Dn. Gudbrandi* ex filia nepos, Musarum cultu & studiis Theologicis clarus ac insignis, *Dn. Thorlacus Sculonius*, avitarum virtutum, uti hæres, ita in Borealis Islandiæ Episcopiâ, avi successor & Ecclesiæ superintend. reverendus: ut jam reliquis, nominatim alioqui commemorandis super sedeam. Qui omnes, licet ad præsens negocium, multò sint magis idonei; causa tamen subesse poterit, manum tabella cur non admoveant. Et Dn. Sculonio quidem, manifesta & honesta obstitit *modestia*: quâ virtutum avi sui præconem non agere verecundiæ suæ esse voluit. Reliqui etiam, vitæ Dn. Gudbran *THORLACUS SCHULONIUS.*

bran

brandi cursum, non exacte forsan tenentes, silentio magis sibi consuluisse videbuntur, quàm si eandem telam carptim pertexerent: institutæque narrationi, aliquà parte deessent.

Quid igitur? animosior ego ad hanc rem cæteris? Nequaquam. At tantò ad parentandum arte & ingenio instructior? Constanter modò id negatum iveram. An verò, aliis magis temerarius? Sed ne hanc quidem culpam liberis subeo. Quinpotius (quod constat) ex cæteris non delectus, sed relictus, huc me à defuncti nostri Reverendi Dn. Episcopi necessariis & amicis (in quibus & ipse nomen meum haut invitus profiteor) deduci passus sum. Ubi licet varia silentium suadentia causari possem; alia tamen potius, quam dicendorum magnam ignorationem prætexere potero. Est enim si tempora respiciam, pravitas seculi maxima; quò ingenuitas, dedecori, Veritas, odio esse: & famæ Synceritas, invidentiam habere cæpit. Sin ipsum me! est præter superius dicta obstacula, ætas mea provectior, & à scribendo propemodum abhorrens. Est animi & aliqua corporis ægritudo: ac in primis memoriæ illa infirmitas, quæ commentationes literarias reformidet, ac refugiat. Quæ tamen omnia in publicum aliquid daturo, vegeta esse oportet. Quibus etiam jam labantibus, quum veniam mihi apud bonos & cordatos spondeam (quam alii, ne expectare aut acceptare opus haberent, intactum præsens scribendi argumentum siverunt) ista, licet jure possem, in tergiversationem non adducam; quominus Reverendi Dn. Sculonii & amicorum voluntati paream, licet eorundem expectationi & rei Dignitati, minus valeam satisfacere. Præsertim quum antea, viros aliquot in nostra gente celebrio-

res, in publicum commendaverim; eorumque memoriam, profundo oblivionis barathro, quà fieri à me potuit eruerim. Indecòrum enim imò nefas fuerit, ut qui hactenus patriam nostram scriptis semel aut iterum ornare, conatus sum, ipsum jam patriæ patrem, hoc est, Gudbrandum Thorlacium, indictum sinam: nec ad justum nominis ipsius elogium, meam quoque symbolam conferam: aliis idem facturis; hac ratione remoram nullam injecturus.

Nec vero æmulorum Gudbrandi Thorlacii (quos nisi extremè malos, nullos habuit) huic conatui nostrò obstare poterit supercilium & invidentia; quin quantum in me est nominis ipsius & famæ immortalitatem asseram. Neque etiam calumniatorum linguæ libertas: Qui quoties bene meritis, laus ingenua adcumulatur, *assentationis* nigro lapillo, laudântem notare solent.

Quin potiùs Apostoli sancto & consultissi. monito *Hebr. 3.*
parendum erit: jubentis: ut præpositorum vel *ducum* "
(τῶν ὑγεμένων) nostrorum meminerimus, qui nobis lo- "
cuti sunt verbum Dei: Quorum intuentes conversatio- "
nis exitum, fidem imitari debeamus. "

A quo sancti Apostoli præscripto, philosophi non *Senec.*
abludit sententia, dicentis: Non sine ratione sacra est, ma-
gnarum virtutum memoria: & esse plures bonos juvat,
GRATIA si bonorum non cum ipsis cadat. Hoc debe- "
mus virtutibus, ut non præsentes solùm illas, sed etiam "
ablatas è conspectu colamus. "

Cæterùm erunt adhuc, sat scio, qui præposterum hoc nostrum officium vocent: quod inde à beato obitu Dn. Gudbrandi, plusculum jam temporis elapsum sit: nec hujusmodi parentationi locum nunc esse velint. Hos

vero ego, ſi quo ſint in numero (vappis & fungis vel fucis nihil reſpondemus) ad laudatam Antiquitatem remittam. Quæ non ipſo ſtatim die, aut horâ facti funeris, finem eſſe parentationum voluit: Unde Novendiales & Deniales fernæ natæ ſunt: & ſolemnia, talia, qualium vetus poëta meminit.

Hunc morem Æneas, pietatis idoneus autor,
Attulit in terras juſte Latine, tuas,
Ille patris genio Solennia *vota ferebat:*
Hinc populi ritus edidicere novos.

Solennia vota, dixit, pro: Quotannis peragi ſolita. Quin & ipſum epulum, & donaria, ad placandum defunctorum manes, ſepulcris annuatim allata; *Solenne & Solennia*, itemque *parentalia*, dici ab antiquis reperimus: Quibus dicata feſta, *Dies parentales*, etiam ſunt appellata. Et quos aliquando, propter bellorum tumultus, fuiſſe intermiſſos, ibidem (2. Faſt. Ovid.) legere eſt.

At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deſeruere dies:

Populi, nempe, novos ritus ab Ænea edocti; ut fuit præcedente diſtich. Id quod propter dictam jam, de temporis intervallo, quorumdam fortè inſtantiam, inſtantius urgeo; alioqui ἀπροσδιόνυσον habendum. Non caret igitur ſapientis & humanioris antiquitatis exemplo, etſi per intervalla temporis parentationes fiant: Quas; in meo ſi foret arbitrio, ſtativis feriis, noſter hic, p.m. Epiſcopus, immortali memoriâ digniſsimus, quotannis auferret: Non quidem, ut ipſi (quod ab Ethnicis factitatum) defuncto: Sed ſoli Deo, ſacra, ſupplicationes & gratulationes fierent;

fierent; de tanto in Ecclesias Islandicas, per hoc electum, religiosæ pietatis & piæ religiositatis, organum, collato & An. 56. continuato beneficio.

Cæterùm, quod hujus est negocii, absque longiore proœmio, rectà aggrediar; telam arreptam, ab ipsis Dn. Gudbrandi Majoribus exorsus: quibus ille, pro conditione nostræ gentis, non obscuris prognatus est. Nam & avum maternum habuit, JONAM SIGISMUNDUM, Borealis & Occidentalis Islandiæ, aliquando Nomophylarem: & summas Episcopi apud nos Pontificii, natione Norvegi, & asseclarum injurias & inimicitias, totos ferè xx. annos, usque ad omnium bonorum expilationem, magnà animi fortitudine sustinentem. Est autem Nomophylacum in hac natione, secundum Insulæ præfectum, ex seculari ordine, summa dignitas. *1. Dn. Gudb. Majores. Avus Matern.*

Pater fuit Dn. Gudbrando Dn. Thorlacus Hallgrymius, ex ipso papatu vix jam emergens, syncerioris Evangelii præco, vir inprimis integerrimus, & ut ait ille haut magnà in re, sed fidei plenus, suà ubique sorte contentus, alieni nunquam appetens. Quem quæstum uberrimum, caduca omnia vincentẽ, Apostolus peculiari notavit elegio: ubi ad αὐταρκεῖαν pietas conjungitur: ad quam Dn. Thorlacus H. natus magis quam factus videbitur. Nam parachiolam is obtinuit Islandiæ Borealis, Occidentem versus, extimam & tenuissimam: dum jam progressu temporis, ad aliam, pauló commodiorem promoveretur. Nomen prioris parochiolæ, Stadur (quod nostratibus saltem insinuo) ad sinum Rutafiord: cui annexam tunc aliam, unà administrabat: Eyre: in sinu Bitrufiod / procul distantem: quò pastor ille vel parochus, de commendatis sibi Ecclesiis maximè sollicitus, caballis (ut est Germ. dicte-

dicterium) Apoſtolicis, hoc eſt, pedes, ſæpiùs, vel in ipſa brunia & nive profundiore, feſtis diebus ſatis antelucanus itabat, &c. Hañ war oft koniñ frá Stad / til Eyrar kirckju / J Skam̃deiginu / fyrer dag: gangandi / ꝛc. Skodum nu / Hvórnin þeir ſem hofare þickjaſt / þar epter breyte. Erudire nõ tantùm ſuos parochianos: ſed obvios quosvis, fidei ſanctioris progymnaſmatis imbuere, ille vir geſtiebat: præſcriptis etiam propria manu in membrana, rudimentis catehesis Chriſtianæ, nuper in idioma maternum transfuſæ: quum ante miſera plebecula, ad linguam non intellectam, Latinam ſc. aſtringeretur: quà tantùm catechesin extare Pontificii voluerunt. Qui divinus labor, ipſum jam comitatur in Gloria.

Dn. Gudb. patrui & patrueles. Fratres germanos Dn. Thorlacus habuit, Dn. Gamalielem & Dn. Einarum, Hallgrimios: & hos Sacerdotes, nuncium, Papatui remittentes: ac pari veram Religionem diſcendi & docendi contentione, ad pietatem nitentes: Quos idcirco eadem cum fratre manebit in cælis beatitudo & felicitas. Filios hi reliquerunt, etiam num ſuperſtites, & pro gloria Dei & ſalute Eccleſiæ, in vinea Chriſti deſudantes. Ille quidem Dn. Bernhardum Gamalielem, Muſarum olim Hafniacarum alumnum, Scholæque Holenſis in patria Rectorem & meum, id temporis præceptorem plurimum honorandum: Nunc ſocerum optatiſſ.

Hic verò præter duos alios ſacrorum miniſtros, etiam Dn. Gudmundum Einurium, virum doctrinà & virtute præſtantem: primaque philoſophiæ laureà inſignem, meum aliquando in palæſtra literaria commilitonem ſuaviſſ.

Ad Dn. Thorlacum Hallgrimium redeo: cujus mentio huic loco magis propria eſt, Ille non animarum curam tantùm

tantùm

tantùm tibi commendatam habuit: Sed etiam vitæ & corporis indigentiam quorumvis mendicorum: Mirùm enim quod vir optimus, cum conjuge, matronâ honestiss. Dn. Gudbrandi matre (Helga, nomen fuit) eleemosynis pro suo modulo erogandis gaudebat: Mendicos, non alendo solùm, sed & induendo: & quidem suâ manu sæpiùs, centonem aliquem, quo nuduli potiss. indigerent (non dissimili, Martini Turonensis illius Episcopi exemplo) ipsos conficiendo & coaptando: Quam Dn. Thorlacij pietatem, in filiis Gudbrando & Theodoro, Thorlacijs, largâ rerum habendarum benedictione Deus recompensavit. Ipse verò Dn. Thorlac.; ut Scauris nihil invidebat; ita Fabriciorum sorti favisse videtur, quam de re Poëta.

Scaurus habet nummos, urbana palatia, villas,
Pinguiaq; innumeris prædia bobus arat:
Huic tamen assiduè major succrescit habendi
Nunquam divitiis exaturata fames.
Ditior est igitur patrio contentus agello,
Qui vivit nullo fœnore Fabricius.

Talibus, tam piis & honestis parentibus, natus est felici sidere, An: Ch: 1542: Gudbrandus Th: in prædiolo Staderbacha, parochiæ Islandiæ Boreal: Midfiord: prædiolo, inquam, nullius admodum notæ vel nominis (respectu aliorum in viciniâ olim florentium) nisi qui hujus viri nativitate & cunis inclaruerit. Quemadmodum sc. summi illi & sanctiss. viri, loco satis ignobili oriundi, eundem suo ortu & nativitate nobilitârunt: Jeremias, Oseas, Nahum, Zephonias, Jôël (Prophetæ notiss.) De quorum patria sacræ consulendæ erunt historiæ: qui sc. nunc ex pago: nunc ex vico hoc vel illo, nobilissima sibi organa & Mystas, Deus delegerit. Ita enim semper Excelsus ille

II. *Nativitas & patria specialiùs dicta.*

humilia respicit: nosquè vel hoc paterno affectu, filios suos, ab inflatâ hominum & Dæmonum superbiâ, vult abducere. Jam patriam nobilitare, quam ab eadem nobilitate.

III. *Educatio.*

Pueritiam & partem adolescentiæ, noster Gudbrandus apud parentes exigens, Catechetica fidei purioris rudimenta mox imbibit feliciter: raró sanè, ac illâ tempestate, tenebris Pontificiis vix discuti incipientibus, novo prorsus exemplo: unde, morum quoque sanctitate imbutus; ad pædagogiam Holensem, jam pauló adultior ablegatur: memoriâ quidem initio tardus (quod sæpius referre memini) ast ingenio sagacissimus: vel posteriorum Annorum documento & experientiâ.

Transitio & q saltus liberior.

Hic ætatem juvenilem, peregrinationes, studiorum cursum, cum ingenii & corporis dotibus (quæ ista in contexendâ reliquæ vitæ narratione, sæpius & sparsim recurrant) consultó transcendimus: cujusmodi hysterologiâ, Lector ne patiatur se offendi, meritó rogandus mihi est.

IV. *Episcopatus Holensis.*

Festinamus enim ad Annum illum Jesu Chr: 1570 seculi nostris Ecclesiis ac Patriæ, vere aurei, initium: Quo Dn. Gudbrandus Th: An: æt: 28 ad Episcopiam Holensem divinitùs destinatus, per summum Magistratum legitimè deligitur & vocatur: Dn. Olao Hialtero, 16 annorum ibidem Episcopo, rebus humanis nuper exemto: Qui quamvis in ordinationem emendatæ Christianæ Religionis Danicam, primus Episcoporum Holensium jurâsset: primusq; per hanc Dioæcesin, reformationem Ecclesiasticam, auspiciis Christianissimi Christiani III. Daniæ & Norw: &c. Regis serenissimi, benè cæpisset: & sementem aliquam fecisset. Tamen, quam immaturam segetem, Dn. Gudbrando Th. optimus ille vir, morte præventus reliquerit: ut & difficultates

cultates circa bona Ecclesiæ cathedralis; & alia Ecclesiasticorum subsidia; vix facile dictu est; præcipuè apud ignotos & nostrarum conditionum minus conscios. Reformationis verò successus & perfectio, quum novæ typographiæ in Islandia excitatio; & hæc auctore & antistite Dn. Gudbrando cœperit (ut postea erit) floremq; & fructum tulerit; nos ad ipsius Episcopatum, aurei, quod dicebam, seculi, initium non injuriâ referimus. Illud verò seculum aureum vocare, minus dubito. Nam esto, ut omnibus vitæ commodis antea magis abundaverimus (quod Reformationis hostes, tam hic quam alibi sæpius Oggerunt: quibusq; vicissim aliàs, & loco magis suo, responsum est) quorsum tamen rerum omnium, etiam ipsius auri, absque Deo, abundantia?

Spartam v. sublimem atq; difficilem legitime adeptus, quam hic vir laudabiliter ornaverit, satis ampla foret, prolixitatis studioso dicendi materia. Quam Argumenti propositi dilatationē, quamvis ego studio vitare cupiam; nudam tamen narrationem, rerum pondus recusat. Ubi si div. Apostoli exhortationem, de auribus nostris non oblivíscendis, verùm sanctiore memoriâ conservandis, in mentem revocemus; Quomodo id rectius præstitero, quam ὑγιαίνειν, hunc nostrum, cum præclaris Ecclesiæ Israëliticæ ductoribus (quantū nostro modo liceat) breviter conferendo? Sic enim *in mutuari optabilius est.*

Parva licet componere magnis:

& Mantuam Romæ, nostrasquè Ecclesiolas, Israëliticæ hierurchiæ assimilare. Etenim, si vitæ, vocationis & laborum, nonnullæ rationes conferantur, invicem; aliquam tum Mosis, tum Samuelis historiæ partem, hæc narratio repræsentabit. Nec tamen idcirco est: unde

unde tumidus quispiam, humiliora despectui habens, objectet; me hac ratione & modo,

——— *Pugnantia secum*
Frontibus adversis componere: ———

Homines enim cum hominibus; non bestias cum hominibus confero: Imò hominis & quidem præstantissimi, ad magnorum illorum exemplum erit in quibusdam collatio. SanèMosen & Samuelem, ob dona divinitus concessa admiramur: & non liceat Gudbrandum ab ijsdem vel similibus à Deo indultis admirari, vel detollere? ita; ut ad omnium Bonorum autorem & collatorem sua & summa laus; & quâ fas est, sua ad homines redundet? Plurimum namque interest, quomodo quis donis, & bonis collatis utatur. Quibus quia plures omnibus seculis abusi sunt; obtinuit ut recte utentes laudem, Wort, abusui oppositam, mereantur: ac sæpe etiam adipiscantur. Cæterùm jam ex Mosis historia, hæc prior esto collatio.

1. Soceri greges, Moses pascebat, ad montem excelsum & præruptum Horeb: in deserto Sina, dum primum cum illo Deus colloquiũ inire, & suum consilium de ipso in Ducem populi constituendo, monstraret. Sed etiam â caulis & ovium pasturâ, in patris adhuc degens familiâ, Gudbrandus Th: ad literas & scholam Holensem, ut montem vel acropolin quandam assumitur: qui primus ipsi ad majora capessenda gradus fuit.

2. Porrò; ut detracta Mosi calceamenta ob loci sanctitatem: &c. symbolum erant mentis nullis prophanis opinionibus occupatæ: sed soli Deo devotissimæ &c: ita Gudbrandus noster, Papisticæ Religionis Calceos (qui tum temporis à plerisquè terebantur) detrectans, in terra sancta (Mosis instar) sive Scholasticis reformandæ fidei funda-

fundamentis, pedem fixit: ubi etiam Dei alloquium (mediatè, nempe per Magiſtros prolatum) imbibit & ſuſtinuit. 3.

Dixerat etiam inter alia Deus ad M..ſen: Ego ſum Dominus: & apparui Abraham Iſa: & Jacob, ut eſſem ipſorum Deus Omnipotens: Sed nomen meum Jehova, non patefeci ipſis, &c. Quem textum interpretes quidam commentaturi ajunt: ſtrius.

Nomen Jehova, non ignotum fuit patribus: Sed conferuntur hoc loco miniſteria patrum & Moſis. Collegerunt quidem patres, aliquam Eccleſiam ex Cananæis & Palæſtinis: Sed nequaquam conferendus eſt hic exiguus cœtus, cum maximâ multitudine, quam Moſes ex Ægypto eduxit & poſteà in deſerto gubernavit, &c. loquitur ergò textus; de propagatione Doctrinæ, non de ſapientiâ patrum; qui ſemper hunc verum Deum invocarunt.

Hac expoſitione ſi ſtandum foret: & ſi quid huic rei, circa Reformationis negocium, ſimile ſub eſt: Initium à Dn. Hialtero factum, notitiæ Dei, usquè ad Moſen, convenire videtur. Perfectio autem Gudbrandi operâ ſuccedens revelato uberius per Moſis miniſterium, nomini Jehovæ reſpondebit.

Fuerat Moſes tardus linguâ & labiis incircumciſis (cap. 4. & 6. Exod:) cui tarditatem memoriæ, quam primis tyrocinij literarij an̄is, Gudbrandus deplorare, neceſſe habuerat, conferre placet. Nihilominus, per utrumq; quod inſtituerat Deus clementiſs. effectum dedit. 4.

Fratre interprete, ceu oratore uti, Moſes coactus eſt, 5.
Aſt eximium facundiæ, donum, ſucceſſu temporis, in Gudbrandum (aucta quoquè memoriâ) Deus contulerat: ſive ſcribendo: ſive perorando Eccleſiaſtica tractanda fuerant & exigenda negocia.

Rebellem, duraq; cervice populũ, Moses expertus, subditum, hinc imminere iram Dei commeritam præsensit: suorum interitum luxit: orandoquè pugnavit, contra hostes & aliam popularium internecionem: rixabatur cum seditiosis: perturbabatur novis scandalis subinde exorientibus: summisquè difficultatibus Annos plus minus 40, tantùm non obrutus est, &c.

Quantos ad consimilem modum, in Religionis negocio (quod interveniente novâ typographiâ, potiss. expediendum erat (exantlare labores, Gudbrandus Th. coactus sit; quas acerbitates devorare: & quibus ex difficultatibus & contumacis seculi certaminibus, tandem post annos 50: eluctatus sit; si penitus tangam, apud Lectorem Sextraneum, fastidio foret.

Id verò nostratium nemo, nisi oculis & auribus; imò etiam mente captus, non vidit, audivit, intellexit: nisi etiam summè perversus non agnovit. In qua parte dicendi, si immorarer, aut multa persequerer; amicis forsan præteritorum malorum dolorem; æmulis deperditæ victoriæ memoriã refricuero: Crabronesq; irritavero. De quibus idcirco ad Crymogeam nostrã Lectorẽ remittere visum est: ut omissis meris contentionibus, labores, pro Ecclesiæ emolumento, magis sedatos & minore cum bonorum commotione aut tædio, exponamus. Si tamen & illa quæ ex Samuelis historia, ad similium collationem absolvendam, huc arcescere jure videar, prius producam.

Libr. 3. in Frid. II. Daniæ R.

Est enim I. Nomen ipsum sive nominis interpretatio, huic nostro non valde incompetens. Est II. aliquâ sui parte non dissimilis vocatio. Est deniq; III. in popularibus utrinq; haut impar, boni ordinis & ordinationis fastidium, atquè contumacia. Et qui-

Collatio ex histor: Samuel.

Et quidem, ipsum nomen Samuelis, quod spectat; triplex affertur interpretatio:

1. Nominis expos: triplex.

I. Quia *Postulatus sit à Deo:* matris sc. gemitibus & lacrymis: quod habet historia. Et nullum dubium est, quin Dn. Gudbrandi parentes, Religionem pertæsi Papisticam, sinceræ fidei, aliquem præconem dari divinitùs, calidis votis & lacrymis optârint: Imò: Quin ipsa mater Ecclesia, ejusdem loci & temporis, sanioris doctrinæ adhuc sterilis, vel non satis fœcunda (ut ANNA altera) ardentibus postulaverit votis, spiritualis natalitiis, ex sese oriri quempiam, qui accensam jam vix primulum verbi Divini *faculam*, clariorem exhiberet: Quique appetitum suum, salutiferæ doctrinæ gustu proritatum, liberalius & largiore epulo expleret: Ad quod obtinendum, quum nostrum Gudbrandum, Ecclesiâ, amaro jam animo, sterilitatem suam apud Deum deprecata, orando assecuta sit: à Deo 2. postulatus; dici omninò merebitur. Eademque ratione, alteram nominis Samuelitici, â doctis indicatam etymologiam habemus: quod hac in re tanta, Deus Ecclesiam EXAVDIDERIT.

3. Quod si tertiam nominis ejusdem significationem (Nomen ejus Deus Chytr: in Onom:) consideremus q. d. Gud er J Hans Naffne/ i. e. nomini ejus inest Deus: quid nomini GUDBRANDI, convenientius? Quid similius? quod DEI ENSEM, vel gladium sonat. Ut isto velut oraculo, Deo & nomen gubernante & omen, subindicatum sit, nostrum Gudbrandum, gladio spiritus, pro gloria Dei & Ecclesiæ salute dimicaturum esse. Fuitquè ista non prorsus inepta aut impertinens, nominis utrinq: allusio.

VOCATIO sequitur

Mam

II. Nam & hoc in comparatione institutâ assumam: Quod de Samuele, noctu ab ipso Numine quater accersito legitur: idquè ex Josephi fide; av. æt: 12.

Vocationis collatio.

Sic enim etiam in Gudbrandi nostri vitâ, vocationem â Deo factam Quater animadvertemus: quanquam non unâ eademq; nocte: nec eodem ac uno, ætatis anno. Nam alioqui simile, foret idem. Applicatio autem talis erit. Noctu vocatur Samuel. &c.

1. vocatio. NOX erat; vel si mavis, crepusculum matutinum, cùm Phosphorus Evangelicus, radios (quibus etiam nostrum horizontem collustraret) sed ad illum usque annum languidiores spargere inciperet: Quo, circa annum ætat: 12. vel ut alij, 14, à curâ & custodia ovium (quod super fuit.) ut Davidem alterum, alterumque ab aratro Elisæum, ad ferulam Holensem Gudbrandum Th. Deus evocavit: ubi à discentium subselliis ad hypodidascali curam brevi promotus, deinceps in Academiâ Hafniensi, progressus fecit literarios. *2. vocatio.* Unde, velut secunda vocatione, ad regendam scholam patriam, quæ Schalholtiæ est accersitur. *3. vocatio.* Tertiâ, jam sacris initiato, Ecclesia Bredbolstadensis commendatur. Quæ propter alia fortasse simul memoranda, intra An; æt: 26. gesta sunt. *4. vocatio.* Nec diu est, quod â Deo jam quarta quasi vocatione ad Episcopiam Holensem adscitus, ac manu velut ductus, evehitur: ut supr:

III. Tertium erat hujus collationis membrum, similis utrinque popularium contumacia, &c. Muneris enim novi, ut & adulti, molestias, labores, curas; præterquã quæ cum laude, noster Antistes sustinuerit; etiam cum Mose & Samuele, suorum popularium Strennuam contumaciam & diris mixtas calumnias expertus est. Quam narra-

Narrationis partem, qvum supra abruperim, nolo hic redintegrare. Unicum tamen, quum Samuelem missum fecero; prius attingendum est.

Nam ut illius tanti Prophetæ & 40. circ. annor. Judicis, gentem Judaicam adeò piguit, ut de Rege constituendo, contra Deum, Deo molesti essent: Ita nostro Gudbrando, quid tale accidit: Qui suis Episcopus, non quidem secularis, ut Cicero Campaniæ [ad Attic: Lib. 7.] sed Ecclesiasticus, datus: ad aliquam interim curam, quam secularem voces, obligatus orat: Idquè Jurisjurandi formulâ, candulatis numeris, Episcopalis, Ordinatione Regià, in hæc verba, Danicè præscripta. Jeg vil etc: oc Saa vüde fattige folckiß beste: oc hielpe / den menige Low oc Landz schick / ad holdis vnd magt. rc.

Eam rem, quoties fide obstrictus Juramenti, ad curam habere, noster volebat Episcopus; toties seculares præfectos & horum non paucos asseclas irritavit: toties novas sibi calumnias comparavit: ut qui pedem unum in choro; alterum in foro poneret: toties avarus, πλυπεάγμον@, ac nescio quis audire cogitur. Toties apud Regios; imò, ipsam Reg. Majest. traducitur; ut litium forensium amans; contentionibus & rixis indulgens, (etiam circa prædia Ecclesiæ Cathedralis abalienata & de peculiari Regis mandato repetenda), Cujus jugum idcirco excussum & ipsum cöercitum vellent. Videatur Sphettii cujusdam calumnia, cujus Crymogæa mentionem facit: &c. Cujusmodi malignorum tragediæ, ad graves aliquando minus summum magistratum descendere compulerunt. Verùm his, bonitate causæ pro se militante, & Dei fretus auxilio, Dn. noster Gudbrandus, semper felici restitit eventu; usquè ad extremum vitæ momentum, Regio ma-

nifesto usus favore: Nos hîc, institutæ collationis membra suspendemus: inq; susceptæ Orationis parentalis continuatione, ulterius pergemus.

V. *Animi & corporis bona.* Dicendum enim aliquid de Dn. Gudbrandi, animi corporisquè dotibus magnis & mirandis: quibus & munus suum laudabiliter exequi, & adversæ fortunæ ac molestiarum plaustra, alia evertere, alia sustinere & sistere, potuit. Erat enim animo in primis excelso præditus, constanti (ac interim à superbiâ alienissimo) ut nec secundis, nec adversis nimium moveretur. Ingenio valuit perspicati & acuto: ac ad ea, quocunque animus ferebat, solertissimo: ita, ut ad ipsam Mathesin, si excoluisset, nec Theologica prætulisset, ascenderet. Nam cum vix quadriennium, Musis Hafniacis impendisset; nec alias adivisset Academias, automatum tamen astrologicorum animo concipere valuit: & sphæram nostræ elevationi accommodam, ac suâ manu constructam, Johanni Bocholtio, viro nobili & literato, hujus Insulæ profecto Reg: obtulit. Libellos etiam sphericos, & astrolog: ipsius manu annotatos, vidi & inspexi: ut Purbacchii, Reinhold; &c. Quin etiam Globi terrestris fabricam, me conscio & præsente, aliquando adornabat; ubi Islandiæ situm Cosmogr: quem in hydrographorum mappis erroneum animadverterat, emendationem daret: Quam tamen intentionem, morbi & molestiæ abruperunt. Appiani & Orontii, circa hanc materiam, opera, familiaria sibi habuit. Nec hoc silebo; quod mihi & doctiss. Viro, Domino Gudmundo Einario, cùm nos unà domi suæ, Rud. Dn. Pater convictores haberet, operam suam, ad indagationem, doctrinæ Sphericæ obtulerit. Nec animi solùm tali habitudine, sed huic velut conspirante, manus dexteri-

tate

tate, incomparabilis ille vir pollebat. Manu promptum militem, laudibus evehunt; & meritò omnes magnifaciunt. Gudbrandum v. Th: inter fabros nunquam versatum, quævis tamen Opera fabrilia, saltem visa, manum si admovisset, imitari; & plurima non visa, excogitare & efficere potuisse; quis non miretur? & laudet? in quibus omnibus, & similibus exercendis, non quidem ipse, destinebatur, sed ministros exercuit & promovit. Plurimum sane illa res, ingenii, inquam & manus tanta dexteritas, ad calcographiæ hîc exercendæ promotionem contulit: in quâ ipse hic noster antistes αὐτοδίδακτος, famulos & operas, assiduâ inculcatione, mediocres artifices effecit. Et jam de animi dotibus aliquid dixi: Nam pietas (cum aliis virtutibus maximis,) in reliquâ narratione, Carbunculi more interlucebit

De Corpore, quod optimam staturam nactum est, corporisquè viribus & valetudine; constet: illâ multum diuquè optima usum: ad Ann. æt: 43. ex quo tempore, paulatim nutare cæpit; ut infra dicemus: Bona quoquè fortunæ, silentium suo loco non merebuntur, &c. Nam nunc tempestivum est, de Conjugio & affinitatibus aliqua afferre. Tum quia sic annorum series admonet: tum quia non ultimum sibi locum, hæc vitæ pars vendicat.

An. namquè 1572: æt: 30: noster hic Episcopus, de columnâ domus, illâ *aureâ*, quæ basin habeat *argenteam* (nam quis mihi Syracidæ verbis interdicat?) maturè cogitans, nactusquè est in matrimonium Virginem honestissimam Heliodoram; Viri solis instar, virtutum splendore coruscantem; & etiam claris ortam natalibus. Patrem enim habuit, Arnerum Gislavium, magni & nominis & virtutis virum. Avus paternus ille

VI. Conjugiũ honestiss. prosapia: affinitates.

C 2 fuit,

fuit, nostræ terræ magnati, Dn. Gislao Haquini f: horum aliquot annorum Islandiæ Orient: & Meredion: Nomophylaci: Quem etiam magnas ob virtutes meritò suspicimus; Domini Gudbrandi ex fratre uterino neptim, in conjugium adeptum.

Matrem verò Heliodora Arneri f. Dn. Gudbrandi Conjux habuit Guthrunam Sæmundi f: tali non indignam marito prædicatam.

Illius Heliodoræ, sororem patruelem, pietate & plurimis virtutibus excellentem fœminam, S: G: F. mihi olim in matrimonium, Deus indulserat: Quæ patrueles, civitatis cœlestis jam factæ municipes, ipsius Dei, Angelorum & animarum beatarum consortio fruuntur.

Conjugis optimæ, conjuge dignissimus optimâ, Dn. Gudbrandus post annos 13. dulcissimo privatur consortio; mortis (humanitùs loquendo, interventu, immaturæ: ejusdem voc. 3. præstantiss. fœminæ ætatis anno 38. Christ: 1585: Hæc ex pluribus liberis antea in cœlum præmissis, quatuor tantum reliquit. Quorum filia natu minima, ad beatorum sedes matrem est subsecuta. Filius, unicus ex conjugio dulcissimo, matri supervixit; Dn. *Paulus* Gudbrandius: qui ad maturam benè ætatem provectus, post palæstræ literariæ aliquot exercitio. Regius in Thingorâ, nomarcha factus, patris obitum aliquot annis moriendo antevertit. In matrimonio is habuerat, Sigritham, matronam cum primis honestissimam, Optimi viri, ac in nostrâ gente, magnatis celebris, Biornonis Benedicti filiam: quæ etiam num superstes, ex suo cum Paulo Gudbrandi conjugio, Sex filiis superstitibus gaudet. Quos ut Deus, omnibus animi bonis auctos (egregios sc. Juvenes) faciat; meum est, ex animo rogare. Ejus verò pro-

PAULUS

sapiæ

sapiæ, in linea maternæ cognationis, cum utrinquè plurima numerari possint tamen præcipuum ornamentum est dictorum sex fratrum, avunculus, Dn. *Magnus Biornonis* f. de Mödruvollum: Nomarcha in Munkuera: quem amplitudinis & honoris causâ nomino: cõjugio honestis: & divitiis, præter animi & ingenii maxima ornamenta, clarus: quibus olim Academiæ R. Hafniensi, nomen dare meruit. MAGNUS BIORNIS.

Filiæ adhuc duæ, patri Gudbrando sunt superstites: maternarum virtutum, h. e. muliebris sexus, omnium ornamentorum, hæredes. Horum una, *Kristina*, nupta amplissimo viro & nostræ terræ præcipuo magnati, *Ariæ Magni* F: quinque liberis ad maturam jam ætatem provectis, optimâ quoque magnarum virtutum spe & experimento, notis, post dilecti patris sui Dn. Gudbrandi obitum, se solatur. CHRISTINA. ARIÆ MAGNI.

Altera, ad patris senectutem & invaletudinem curandam & fovendam, contra aliquot procorum vota, â Deo celebs reservata est: cujus mentio etiam infra erit. Fuitquè hæc Dn. Gudbrandi, Thori conjugalis fœcunditas: Quem Deus præterea, optata rerum omnium copiâ auctum & fœcundatum voluit: ita ut aut nulli, aut pauci nostratium, in re fuerint lautiore.

Ecce: sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Quare jam proximo loco videamus, quomodo hac benedictione & rerum affluentiâ, Vir Dei usus sit. Domum amplam adeptus est regendam. Ad onera domus ex parte sustendanda, matrem familiâs (tantillo interim indultam temporis spacio,) adsciverat: Reliqua curanda, œconomis injunxerat: ut tantò liberior, rei Divinæ & Deo vacaret. Indagatione Doctrinæ cœlestis, nihil prius, VII. *Varia benignitas: & munificentia.*

 nihil

nihil antiquius habuit. Quare quum videret ministrorum verbi aliquot, inopiâ fractos, officio minus satis facere: ijsdem mox initio novæ inspectionis, perpetuam eleemosynam ex fisco impetravit. Quumquè videret præterea, aliis adhuc, aliud deesse: in illorum subsidium, de suis redditibus, nonnihil decerpi & decedere passus est: Quod ut ijsdem perpetuam quoquè foret beneficium, nec â suis successoribus rescindendum, apud Reg: Majestatem obtinuit. Quin & hoc etiam vidit & probè animadvertit, penuriam sacrorum codicum vernaculâ linguâ extantium, tam laicis quàm clericis, ad uberiorem in fidei doctrina fructum obstare. Hoc inquam, vidit, & typographiæ in patria excitandæ ipsum animus & ardor incessit. Nec mora: fiunt sumtus: conducuntur Operæ: Libris sacris in nostram linguam transfundendis invigilatur: Opuscula unius & alterius Syncerioris Theologi excuduntur. Sensit illicò Antistes, vel unico Catecheseos libello in vulgus edito plus proficere suæ inspectioni concreditas oviculas, quam sexcentis concionibus miserorum ac rudiorum adhuc sacrificulorũ, ex sentinâ pontificia vix caput exerentium. Unde diu non erat, dum ad sacra Biblia patrio edenda sermone, animum appulit. Magno id tantum Opus constitit, tum labore, tum expensa. Maxima in tomis Biblicis aliis interpretandis, aliis verò quidem antea expositis, sed sollicitè emendandis, ars, scientia, fides & solertia requirebatur. Maxima etiam in typis & typographicâ suppellectile universa, partim comparandâ, partim fabricandâ, pecuniæ & mercium profusio. Igitur in Opere typographico, ac præsertim S. Bibliorum editione, unâ quasi confluentem fecêre, Natura, ars, ingenium, sumtuum liberalitas, industria: ac deniquè summa rerum agendarum

Typographia.

Biblia Isl: eduntur.

rum felicitas â Deo indulta. Absolvuntur Biblia Islandica Anno Christi 1579. Quæ quantum ad artem & operis concinnitatem, laudatis officinis non cadunt: Quod eorundem testabitur exemplar, in Reg: Bibliotheca quæ Hafniæ est, asservatum. Ornavit porrò Bibliorum hanc editionem serenifs: Dan: & Norweg: Rex, div: Fridericus II. cum Gratia & privilegio Operi præfixo & peculiari diplomate contento: tum largo honorario; de quo alibi facta est mentio.

Ad typographiam verò Islandiæ, quod attinet: aliquid hîc tentavit, sub idem fere tempus, quo ad Cathedram, Gudbrandus evectus est Sacerdotum quidam, Jonas, cogn. Svecus: cujus nostra meminit Crymogæa. Sed curta ipsius & concîsa suppellex, ad prælum & officinam Holensem planè nihil.

Nec dum renascentis apud nos Ecclesiæ memini, suâ laude defraudandus est, è Nomophylacum Islandicorum numero, quidam OTTO, cogn. Norske. i. Norvagus, circa An. 1554 &c Gotschalchi Episcopi pontificij Holensis, patre (ut fit) longè præstantior filius: Qui cùm Nov: Testamentum: & Postillam (quam vocant) Anton: Corvini in linguam nostram transtulisset, Rostochij, suis ut credo sumtibus, excudi curavit. Sed ad typographiam in Islandiâ erigendam solus Gudbrandus Th. felici constellatione, datus est: eoquè ad summam Patriæ gloriam & ornamentum. Qui tamen, dum huic fini, omnia sua, vires, voluntatem, facultates; imò & valetudinem, in extremam usquè senectutem, & inter varios ac periculosos recurrentes morbos, impendit: â φιλοκερδίας convitio ingratissimorum hominum, immunis esse nequivit.

Is in-

Is nihilominus, hanc laborum & sumtuum Typographicorum, clausulam esse voluit; ut prælum cum universa suppellectile typographicâ, testamento, ipsi Cathedræ legaret. Quod dum metueretur, ne de hæredum albo quispiam, ratum haberet, commodùm interveniente, Dn. Thorlaco Sculonio, hæc Testamenti pars, Reg. diplomate, rata & firma esse jubetur: An: 1628. Atque ita Dn. Gudbrandi pia liberalitas, occasione istius metus, etiam post fata, extraneis innotuit. Videamus quæso singuli, ac agnoscamus; Quomodo Deus misericors, honorátes se, vicissim honoret, &c Eximia ad Dn. Gudbrandum adhuc superstitē, ex Ecclesiæ reformatione, typographiæ beneficio promotæ, redundabat laus; & quæ homini competat, gloria: Ast etiam defuncto, nihil hujus laudis decedit: Imò, ipso tempore, Tempore, inquam, quo reliquæ res consumuntur: hæc laus coalescit & consolidatur. EVCLIO quispiam, prælum illud suum, totumq; eô pertinentem apparatum, divendi & hæredes pretio gaudere, jussisset: Quid verò noster hic? Deo & Ecclesiæ, sua hæc donat & dicat: super hæredum lucello, hac in parte nihil sollicitus: Non dissimili veterum exemplo; qui post multas victorias bellicas, arma quibus hostem feliciter debellâssent; ut præclara trophœa Martis in templo suspenderunt: ut cujus auspiciis pugnassent, ei Deorum, armaturam universam dedicarent. Nec similitudinis non promta est applicatio. Annos plusquam 50: Dni. ille Gladius (Gudbrandus) vel Gladiator (Ex qua voce, ad nomen Gudbrandi alludente, ignobiliorem significationem exulare jubeo,) nobilissimus, contra Satanam in armis fuit: Christi regno asserendo, sub ejusdem vexillis; Satanæ verò & squamarum ipsius technis destruendis, occu-

occupatissimus; vivâ aliàs voce; ast scriptis potiss: captui simpliciorum, lacteo ædificio, accommodatis, Ecclesiæ partes tutatus: ad ultimum usquè vitæ suæ triennium: Cùm in morbum lethalem incidens, corpore, non animo victus, Panopliam deponere coactus est: prælum & officinam claudere, & sic arma typographica (quibus validissimè pugnâsset) eo, quo dixi, modo, in æde sacrâ, sacris usibus destinata, & Deo opt: max: devote consecrata, suspendere voluit. Gratulamur itaquè tibi meritò, Refer: Dn. Sculoni, Lampada, (quod ajunt) hanc, *CURSU*, vel vitæ ac ætatis decursu, ab optimo & celeberrimo avo tuo, traditam: quâ in posterum, ut vita & moribus, ita linguâ & typis, facem Ecclesiæ præferre possis.

Dixi majore quam oportebat brevitate, in Ecclesiæ Dei ædificationem, per typographiæ præsertim beneficium & expensas, quam pronus & liberalis, Dn. Gudbrandus fuerit: Restat alterius generis liberalitas; quæ interim in Ecclesiam suo modo redundat. Pauperes triûm ferè generum habemus: sunt enim 1. Ecclesiæ ministri. longe pauperrimi. Sunt 2. coloni inopes. Sunt mendici. 3. qui hostiatim aluntur. *Munificentia in pauperes.*

Quid 1. in ministrorum verbi subsidium, primis mox Episcopiæ suæ annis, de suo decerptum voluerit, noster Episcopus, dictum est superius. Sanctione videlicet solenni & perpetuâ. 2. In eosdem vero tenuioris conditionis ministros, ut & egenos alios, tam suos quam aliorum colonos, quid privatim aliàs erogaverit; quas Eleemosynas, per totam vitam in infimæ sortis. (3.) *Mendicos Dn. G.* profuderit ——— *Ego si comprendere coner.*
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Posset præterea pluribus ostendi, prolixequè declamari

Munificentia in suos & hospites. mari nostri Dn. Episcopi munificẽtia & benignitas, in cognatos & cõsanguineos quorũ plurimos bonis mobilibus ac imobilib⁹ auxit: Nec in hos tantũ; sed in hospites quoq; & extraneos: Itemque in scholasticos & studiorum gratiâ peregre profectos. Sed obiter ista attingo: ne si specialius, huic aut isti collata memorem, ad extenuationem beneficiorum cedat. Nec enim in omnes æqualis esse potuit.

in Cathedram. Sumtus pro Cathedræ reparatione facti, peculiari mentione digni sunt; ad Episcopi nostri liberalitatem depredicandam. Sed singula persequi longum est; & peregrino lectori, Jejuna mea facile fastidium creabit macrologia. Domum interim eximiam, quâ præter morem hujus terræ, extinctâ, Cathedram Holensem auxit & ornavit silentio præterire nolui; quæ ipsi & successoribus, Musæum simul & cænaculum præberet; nequaquam sordidum: trabibus & lignis (tum rectis, tum transversis & obliquis) quercinis constantem; latere & cæmento spacia inter vacua replentibus: Interim tolam opere coassato, interius vestitam adeò, ut in hoc ædificio, (præter monimenta alia) viva quasi & indelebilis, Dn. Gudbrandi memoria; tam domesticis, quam advenis qui frequentissimi illic sunt, in oculis & animo versetur.

Qualis autem domus hæc vel cænaculum, talis etiam fuit ipsius Dn. Gud: mensa: frugalis, honesta, larga & liberalis: unde etiam, præter infeirioris urbiculæ quotidianas eleemosynas, suas mendici buccellas expectare habebant. Vt autem victus sobrius & sanus; ita Domini ipsius Gudbrandi Convictus lætus, humanus affabilis. Plurimum enim in mensa, collationibus literariis & sacris, aut etiam publico bono profuturis gaudebat: Et licet morborum sæpe symptomata, aut â mensa absentiam, aut silentium

lentium & mœstitudinem imperabant: Vicit tamen summa viri humanitas & convictorum familiariter tractandorum, rara cupido. Attentus autem & ingenuus conviva, vel convictor, ab ipsius mensa, aut doctior aut melior surgere poterat. Ut nihil mirum fuisset, etsi vel magis inviti inde surgerent; quam olim Diogenes, qui ab Antistenis auscultatione, ne duriore quidem intentato bacillo, repelli se passus est.

Quis qualisve erga Deum & Ecclesiam, qualis in ipsam Cathedram & Episcopium Holense: qualis in egenos & inopes; amicos & consanguineos: ut & affines; verè prædicari possit Dn Gudbrandus Th: ex his quæ hactenus fuerunt, plus intelligi volumus, quam diximus. Nam singulis immorari, non patitur mei instituti ratio. Quis enim eleemosynas illas privatas & publicas, in ultimum vitæ actum (imò ulterius: quod mox dicetur) profusas, sigillatim recensebit vel ratione complectetur; præter cœlestem illum thesaurarium, omnem nostram supputationem, infinitis modis vincentem: ideoque sibi soli deposcentem. O te beatùm etiam hac parte Gudbrande Thorlaci; qui cum non dixisses; dicere tamen jure cum B. Jobo potuisses:

Si comedi buccellam meam solus: si non comedit etiã pupillus ex eâ. Si negavi pauperibus, quod volebant: & oculos viduæ deficere feci: Ab infantia mea crevit mecũ miseratio; & de utero matris meæ egressa est mecum.

Procul abeste Evcliones: in latebras vos proripite Mammonistæ: Uvidii: Fusidii. Vos quoque Nabalistæ, nihil cum nostro Gudbrando commune vobis putate: Quin potius sortem Uvidianam, si non deteriorem, Præstolemini: de quâ Horat: quod NB:

NB

NB

Uvidus quidam) non longa est fabula) dives
Ut metiretur nummos : ita sordidus ut se
Non unquam servo melius vestiret, ad usq;
Supremum tempus : ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat : At hunc liberta securi
Divisit medium; fortissima Tyndaridarum.

Opes quidem Dominus Gudbrandus, pro hujus terræ modulo satis amplas tandem possidet : sed possedit: ab ijsdem possessus est. Divitias inquam, habuit Gudbrandus; non Gudbrandum, divitiæ. Sic quidem, ut Jobi verba, si denuo repetivisset; sine absurditate fuisset Dicentis :

Si putavi aurum, robur meum: & Obrizo dixi; fiduducia mea. Si lætatus sum super divitiis meis : & quia plurima reperit manus mea, &c.

Nec osculatus est manum suam (noster Antistes) ore suo : ut rursus Jobi phrasis est : Sed assidue illud Ap: meditatus est : omnia habentes, nihil tamen possidentes. Iterum etiam cum B. nihilominus professus, merito fuisset: Non foris mansit peregrinus : sed ostium meum viatori patuit.

Omnibus itaque largioribus deputatis beneficentiæ præmiis, Dn. Gudbrandus perpetuum gaudebit. Fœneratur namque Domino, qui miseretur pauperis : Quod non tam stricte de pauperrimis accipiendum ; quin etiam quibusvis, beneficentia egentibus, pro loco & tempore, accipi possit.

Quæ hactenus dicta sunt, ad aliquale meritissimi viri Dn. Gudbr. Th. encomium spectantia : absit, ut relictorum amicorum aut hæredum auribus dare velim. Neque enim hic aut alibi Assentator aut emtitia laudum Gud-

brandi

brandi tuba existo: ut qui animum aut linguam aut calamum, nunquam venalia habuerim: Sed Gnathonica, prostibula cane pejus & angue semper oderim.

Quod si adhuc, Dn. Gudbrandi encomium, quis invitus audiat, ideoquè de meâ fide, aliquid sinistri suspicetur, ex abundantia etiam hoc imbibat: Quomodo illum summi in exteris viri, honore & favore complexi sint. Nam præter serenisſ. Regis, div. Friderici II constantem Gratiam & favorem (qui inter Gudbrandi laudes primum locum occupavit) de quo inter alia, Operi Biblico bina præfixa testantur Diplomata, ut sup. etiam Regnorum, D. & N: Archiepiscopo, Doct. Paulo Matth. suo ad munus Episc. promotori, charissimus vixit; ad extremum vitæ ejus viri momentum: ut ejusdem successori, D. Petro Vinstrupio: ac post hunc clarisſ. D. Resenio: Epistolarum monumentis hoc testantibus. Quin & magnificentisſ: D: Cancellarius, Dn. Christianus de Borreby, humanisſ. ad Dn. Gudbrand. aliquando dabat literas, uti credo, propria manu exaratas latinè.

Ille verò Doct. Nic: Heningius Danorum celeberrimus Theologus, nostrum hunc ætae juvenili (jam maturâ) mensa sua aliquandiu fruentem, sapientiæ ubere quodammodo lactavit. Nec in Germania defuerunt, famam nominis Gudbrandini, admirati & licet non visum amantes, ex quibus celeberrimus ille D: Philippus Nicolai; qui etiam Libellum suum quendam Theologicum Dn. Gudbrando publicis typis inscripsit.

Jam si præter hæc quis requirat; ut virtutum illa mater & matris, pietas (juxta vulg: versicul. Virtutes pietas in se complectitur omnes) aliquod peculiare caput, in vita Dn, Gudbrandi pertexendâ, constituat: frustra id requiret

 quiret

quiret: Nam quicquid omnia narrationis capita æquè occupat (ut supr. attigi) qua ratione illud unam aliquam partem constituet? Vix enim hic apicem deprehendes, nisi meram pietatem, in Deum & homines, pariter spirantem: quam sicre, magis quam verbis, hactenus deprædicasse videbor: ipso tamen Oratiunculæ ductu, ad ultimum vitæ suspirium continuandam

VIII. *Ult: vitæ actus.* Descendendum enim jam, heu: descendendum est, ad extremum vitæ Dn. Gudbrandi actum: flebilem quidem illum; sed nobis: non ipsi: utpotè omnium malorum lætiss. Catastrophen. Flebilis ille omninò nobis; ast interim his annectendus: ut vel hinc æstimetur; Quam mirabiliter Deus tractet suos.

Ad An: quidem æt: 43. vel circiter, Gudbrandus noster meliore corporis valetudine & viribus gaudebat; (ut supr:) Postmodum autem sed per intervalla, infirmissimus: ita ut per ætatis dimidium sanitas corporis, aliàs mutarit; aliàs morbis gravissimis succubuerit. Quo tamen toto annorum decursu, de animi constantia nihil remisit noster Antistes: nec adduci poterat, ut in valetudinem in malorum censu haberet: eoq; animi robore, morbos periculosissimos sustinuit: ut viro morbos, non his virum cessisse dixeris: dum tandem ad ultimam sive paralysin, sive apoplexian ventū erat; cujus variæ fuerunt causæ procatarcticæ; illæq; diuturnæ & latētes plusquā animadversæ.

Incidit in dictum æt: Annum 43. dulciss. Conjugis obitus: quo nihil tristius in tota vita marito accidisse poterat; quiq; dolorum & ægritudinum secutarum initium, si non causa extitit. Ex quo tempore vitam sanctam & cœlibem viduus exigens, de pristinis laboribus Ecclesiasticis, nihil reliquum faciens; quos neque morbi; neq; mœror,

nec

nec æmulorum variæ factiones, infringere poterant; dum An: 1624. æt: 82. Mense Jun. hic vir Dei: & Dei emeritus miles ac athletha, jam tum meliusculè habens, subitâ corripitur paralysi vel hemiplexiâ, lecto infertur ac (ô dolor) sermonis usu paulò post inopinato calamitatis turbine, destituitur. O verò lacrymas: & ô luctum, etiam supra funeris post triennium demum secuti, mœstitudinem, propinquos, amicos & totam Ecclesiam dejicientem & tantū non enecantē, ac per totum trieñium continuatum. Quo afflictissimæ valetudinis tempore, Reverendus Senior, & Pater, â filiâ, verè filiâ incōparabilis virtutis fœmina) Heliodora est nomine; non supprimendo) contra (quod hic repetendum) multorum antea procorum petita, cœlesti dispensatione, huc usq; ad patris afflictā valetudinem fovendā reservata; & à coministris; fideliter curatur. Illam v. Heliodoræ, parentis amantissimæ, pietatem; nec fœminæ istius, ingenui, quod res testatur, sanguinis, licet (mihi) anonymæ, in carcere matrem dies complures lactantis, affectus; superaverit: de qua exclamat Historicus nobilissimus. Quo non penetrat, aut quid non excogitat, Pietas: quæ in carcere servāndæ genetricis, novam rationē invenit? Quid n. tam inusitatū; quid tam inauditum; quam matrem, filiæ uberibus alitam? Neq; itidē alterius, Perus nomine notatæ: (Quæ ait idem Historicus) Patrem, Cimona, consimili fortuna affectū, pariq; (carceris) custodiæ traditū, jam ultimæ senectutis, velut infantē, pectori suo admotum, aluit. Horrent ac stupent hominū oculi, cum hujus facti pictam imaginem vident: casusq; antiqui conditionem, præsentis speculi admonitione renovant. Hæc ille, & alii de incōparabili, per duo ista exēpla, erga Parentes dilectionis affectu: cui ut dictū Heliodoræ nostræ, in fovenda & curanda Parentis, non ultimo hoc tantum triennio; sed multis etiam retrò annis

Heliodora in patrem decrepitū & apoplecticum PIETAS.

Val: Max

annis afflictiss. valetudine, pietas nil cesserit. Nam licet ipsâ specie. Pietatis hæc exempla differant; Rhetorum tamen res foret, Heliodoram istis æquiparare, si non anteponere: ita interim, ut nihil ijsdem detrahatur maximæ pietatis fœminis: sed meritam tot seculis laudem obtineant.

Temporis autem longitudo est; quæ Heliodoræ virtutem commendat (ut hoc solum attingam) si videlicet cum illo aliquot dierum carcere, triennalis morbi, ipso carcere tristiorem afflictionem conferas: quo annorum spacio, indies vitam morte commutare elegisset; nisi parentis desiderium tantam adversæ fortunæ patientiam ingenerasset.

Ille vero dolor consanguineorum, ex deplorandâ Patris & parentis ægritudine, nobis etiam tam maturè immissus, prudenter monet, quod non obiter, Gudbrandi obitus & abitus lugendus sit: ubi adhuc, mihi tempero, dum ipsum funus aut tumulum contingamus.

Jam verò etsi tactus & sensus Organa, in morbo tam diuturno, subinde magnis ac magis læsa sunt; Rationis tamen & sensuum interiorum, longe alia fuit ratio. Biblicas namquè prælectiones, manuum valentiore evolutas & digito monstratas, â famulo Torberno Finario, jugiter continuatas Dn. Gudbr. auscultabat, sacram cœnam, frequentius, â ministro confessionario (quem vocant) Dn. Thorbergo Asmundi F: porrectam usurpavit. Lacrymis & suspiriis, linguâ jam impeditâ, devotam pœnitentiam testatus & hæc fuit tristissimi triennii tristissima fati dispensatio.

O igitur iterum iterumquè luctuosissimam omnium rerum domesticarum faciem ut quæ foris sunt omittam; O ama-

O amarum & acerbum dolorem & mortibus mille tristiorem: dum parentem dulciss. quotidie quasi morientem, ipsa tanti patris, tam sancte amans, mœrore confecta filia, cum Dn. Sculone, tum temporis Scholæ H: rectore (hodie Superint: R.) & reliquis propinquis aliis, aspicere, ac interdum loqui frustra conantem, audire coacta est. O quas noctes insomnes egisse, quos capitis & oculorum morbos, continuis pervigiliis contraxisse putanda est; nullis medicorum subsidiis adjuta? Vidisses hic duas quasi sacro Afflictionum FURNO excoctas, ac interim spiritum ægerrimum trahentes, Dei SALAMANDRAS: cum filia, ita affecta, parentem, lethaliter quidem, sed ultra triennium, graviter decumbentem: parentem dico, non suo tantùm morbo miserum, sed filiæ chariss. animi cruciatum probe intelligedo & animatvertendo, afflictissimum. Cæterùm MIRABILIS DEUS IN OMNIBUS OPERIBUS SUIS. Sic enim ipsum illud triennium, & mortis prolixam Parasceven abrumpam. Ipsa verò jam dicta Heliodora, in pectore muliebri, animum de patris valetudine viriliter sollicitum gestans: Cum aliquamdiu omnia hîc frustra tentari experiretur, consanguineum. Dn. Th. Sculonium, ad exteros ablegavit: qui consultis in Dania & Germania Medicis peritiss. De eorundem sententia, medicamenta quædam parata attulit: De cujus rei eventu, mox dicetur. Nam priorem temporis ratione occupat, nova calamitas, quæ peregrinante Dn. Sculonio, domum Gudbrandinam invaserat: Obiit namque diem suum, illo absente, magnæ vir integritatis, THORCHILLUS GAMALIELIS f: Dn. Gudbrandi patruelis, ac ejusdem supra 30: Annos, fideliss. œconomus: ac rei familiaris fulcrum singulare. quo tam afflicto

Esa: 48. Ecce excoquam te, electum te faciam in furno afflictionis. vid. Zachar. 13. v. 8. 9.

rerum ſtatu, Domus illa minimè carere poterat. Aſt obiit; Deo ita jubente: in quo ſolo ſpes ſucceſſuum collocaretur, Auxit hæc res ſolitariæ Heliodoræ luctum; etiam de dubio, Dn. Sculonii reditu, adhuc incertæ.

Redit interea, lugentis Materteræ ſpes & ſolamen, Dn. Sculonius: cum medicamentorum, ut mox dicebamus adparatu. Cæterùm ipſo patiente nullam admittente medicinam, re ſolius Dei arbitrio commiſſa, de ſanitate recuperandâ deſperari cæptum eſt. Quocirca etiam ad exitum inſtitutæ Orationis me comparo: ut quod ſupereſt: horam hujus vitæ Dn. Gudbrandi, Patris P: deſideratiſſimi, extremam, cum exequiis: & quæ his annexa videbuntur: attingam.

Obitus. Julius agebatur, Anni 1627: quartum jam diuturni & graviſſimi langvoris, quo R: noſter Antiſtes detentus fuerat, inchoans: cum lues epidemica multos paſſim abriperet. Qui menſis; & morbus epidemicus, ad paralyſeos (vel ut alii) apoplexias inveterata ſymptomata accedens Rndo. Eccleſiæ & Patriæ patri, Gudbrando Thorlacio; vitæ ſanctiſs: licet magna ex parte, afflictæ, clauſulam beatiſsimam attulit: a. d. 20. ejuſdem, fer. 6. Hebd: circ. 3. pomerid. Anno ætat: 85: Epiſcopatus ſui Hol: 56. Cùm me ante menſem, luctus domeſticus, à conjugis dilectæ funere continuandus, dejeciſſet: Ad cujus tamen Rdi. Dn. Patris exequias, ego cum aliis, evocatus adfui, Morienti jam, nullus novus, mortis (ut fit) cruciatus ſupervenire, animadverſus eſt: ſed Spiritum ſanctificatum, ſvaviter indormientis inſtar, Spirituum patri tradidit. Funeris deductio, adeoquè totus Actus exequialis, procurante R: Dn. Sculonio, quam honorificentiſsimè abſolutus eſt; Quantum quidem luctus & lacrimæ ſinebant.

Luctus.

Ubi

Ubi tecta & parietes (quod ipsum suæ SIONI olim, Jeremias injunxerat) nostræ Sionis illacrymasse dixisses: quid hominum catervam? Nec mirum. Cecidit enim cecidit, corona capitis nostri, &c. Mœstissimæ filiæ H: tum pariter affecti, nepotis, Dn. Scul: luctum (quanquam Viros, jurisconsultus lugere neget) silendo: quam dicendo, vel cõscribẽdo, facilius designavero: Non secus ac Agamemnonis, mactatâ olim Iphigenia, lachrymas & dolorem, pictoris arte repræsentare, quum præstantissimus nequiret Timanthes, faciem Agamemnonis obnubit; artis suæ inertiam vel impotentiam hac ratione fassus. Ita & ego; verba me hic deficere, Silendo ingenue fatebor. Reliquam omniũ rerum ut & hominum quorumvis mœstitudinem; squalorem, rugitum &c. liceat mihi homiotelevtis (non rithmis Poeticis) vernaculæ linguæ indicasse hoc pacto:

Heffde Mwrinn kunad ad mæla; og tirn ad tala / trien
Chorin ad kveina: kirckian hin / ad veina
Scholinn ad skynia: Stadurinn allur ad Stynia: scilicet
  Þa mundi allt Þetta Hafa verid med mõñunum / J samaHarma grát / oc hiarta Sorg. Ista (velit modô quispiam) sic vecti poterint: Murus [templo aliqua sui parte circundatus] si loqui posset: ipsa ligna, si sermonis usu pollerent: Si Chorus dolentis vocem edere: & templum ipsum, si illachrumari valeret: Si schola vel domus Gymnasii, ratione uteretur; si deniquè ipsa urbicula Holensis querulam dolentiam edere sciret; easdem omnia nobiscum lacrymas funderent: eundemquè flebilem & funestum concentum ederent. &c.

Et ille quidem luctus domesticus talis fuit. Mœret v. foris Ecclesia universa, tali orbata Antistite: Mœrent pauperes omnis loci & ordinis: cum cognatis, agnatis, affinib⁹

 illius

illius liberalitate, variis bonis & beneficiis aucti; quorum nomina exprimere, extraneo Lectori supervacaneum videbitur. Mœrent ægroti olim; ejusdem Evergetis beneficentia per medicos & chirurgos conductos, curati. Mœrent non injuria Politici saniores, consultorem optimum desiderantes: quamvis eundem aspernati, imò odio Vatiniano prosecuti; nunc magni faciant. Mœret tandem majorem in modum sacrum Ministerium; exceptis quod salutaria hujus incomparabilis Antistitis monita, consilia, correptiones, susquè dequè habuerunt. Qui ut aliquando aliter mœreant, Deus faciet. Quid tandem dicam? aut mœrendi quis finis erit? Patria patrem, Ecclesia rectorem, amici fautorem, miseri tutorem, egeni opitulatorem, Dominum subditi amissum dolent & queruntur.

Sepelitur autem Dn. Gudbrandus (qua famam & merita, semper immortalis & insepultus) a. d: 25. Jul: in templo Cathedrali, juxta conjugis dulciss. monumentum, ante annos 42. in cœlestem vitam præmissæ: Cippo his verbis, dum adhuc viveret & mediocriter valeret; ad ipsius nutum, bene multis antea annis, inscripto: GUDBRANDUS THORLACHIUS, PECCATOR JESU CHRISTI. &c: ac cancellulis munito. Qui Cippus vel sepulcralis lapis, â Dn. Gudb: jam mature præparatus, de mortis meditatione tempestivè arripiendâ, singulos nostrûm admoneat: & ad ultimam hanc curam, quæ prima tamen esse debeat; omnes extimulet. Annon enim Cippus, vel cujus ille non vanum symbolum fuerat, tam sancta & matura mortis meditatio, idem nobis loquitur, quod olim sui seculi hominibus: R: Saladini Linteolum &c? Quod potentissimi Marcedonis ad hoc destinatus aulicus, ut ipsi semel quotidie, palam & in faciem

inculcaret: Mortalis es? &c. Quod prudentiorum Turcarum consuetudo: apud quos ordinati erant, quos Thorlacos dictos memorant, qui in lætissimis conviviis, Sollennem ex cranio humano confectum Calicem, singulis porrigerent; cum Mortalitatis indagatione? Imò: ut svaviora & sanctiora contingant, annon etiam idem, quod noster Sapiens: Memorare novissima tua &c. atquè huc spectantes, ex Spiritus Sancti Pandectis, MAXIMÆ: in primis, quas nobis Moses cum Davide reliquerunt. Illud verò constet; non tum primùm cum CIPPUS adornaretur, Mortis hanc meditationem apud Dn. Antist: cæpisse: Sed in eadē per totam vitam assiduū fuisse: cujus ego rei, præter alios nō parvo numero, testis locuples fuero: ad quem, postquam ipsius domesticus esse desieram (per 30. plus minus annos,) vix ullas dabat literas: (quas interim dedit frequētissimas) quæ εὐθανασίας, ad quam se lætus pararet, mentione non incalescerent: id quod etiam, dum unâ viveremus, corde & ore (ut postmodum calamo) sæpiss: agitabat: Sicq; verè Sapientis titulum, suum fecit; quum vita Sapientis, definiatur, meditatione mortis.

Exequias in primis ornabat, licet mœrore & tristitiâ vix sui compos, defuncti chariss. clariss. nepos, Dn: Thorl: Sculonius, carmine epitaphio, lugubri quidem, sed interim doctissimo, Valvis templi affixo: quod etiam publici Juris faciendum speramus, ut conjunctim has pagellas exornet & decoret. Additum est eàdem hora exequiarum, & nostrum Epigramma αὐτοσχέδιον sanè: nec luce vel aspectu dignum: quod tamen ne verbulo mutatum (arente venâ poeticâ) nolui his subducere: Cui titulum fecimus.

TUMU-

TUMULUS

Reverendi ac incomparabilis Viri Dn. Gudbrandi Thorlacij, Superintendentis Holen: in Boreali Islandiâ, vigilantissimi. &c.

TAumandrum *vocitem, quin te*, Gudbrande; *quid obstat?*
Mirus *eras vitâ: Funere* Mirus *eras*.
Vita poli donis resplenduit alma (caduca
Quid memorem?) A sancto funere vivus agis.
Floruerat magno Germania vasta Luthero:
Gudbrando *radiat Patria nostra suo.*
Biblia *debentur Germanica scilicet isti:*
Quod solum è multis jam tetigisse sat est)
Biblia *debentur sancto* Vernacla *labori*
Hujus: & hinc poscit, justa trophaea, sibi.
Miles eras; Domini *multùm versatus in armis*,
Gudbrande; *est ratio nominis unde tui.*
Hunc veterum si more Ducum *tumulemus Achillem,*
Ut simul arma Viri, fulgida, tumba tegat;
Biblia sacrophago Vernacla, reponere fas est.
Athleta illa Dei fervidus ensis erant.
Sin statua, vivo veluti de marmore surgant;
Res eodem recidit Biblia *marmor erunt.*
Pauca habeat Tumulus: *Nam cetera* Fama *loquendo*,
Cum Sole *aquatis passibus, ire valet.*

Et jam â funere digressos, quædam cognata excipiant: cum tristiss. hoc Islandiæ fato, alia in Antecedentium, alia Consequentium numero habenda. Mala siquidem miseræ genti, â tanti viri obitu impendentia, mirabilia & miracula quædam portendebant: Ex quibus, reliquo orbi Christiano, quæ communia fuerunt, terra mariquê,

tùm in ipſo cœlo obſervata, non commemoro: præter Cometem illum. Anni 1617. Virgis tremendis minacem: Cújus longioris temporis proſpectum, nives aut nebulæ, nobis non interceperunt; quominus offenſi & irati Numinis intueri & agnoſcere liceret nuncium. Speciale nobis *Portentum* fuit, incendium montanum, in Islandia meridionali. An: 1625 flammàrum, cinerum, arenarum, pumicum ardentium ructibus terrificum aeri, longe lateque caliginem offundens; & lucem diurnam, in ipſo meridie intercipiens: eoquè miſeros incolas de CALIGINE ſæpius à diſceſſu vel occaſu *luminarium* Eccleſiæ, cœlum ſpirituale, ſolemquè vere lucidum & vitalem obfuſcante, nec fruſtra metuenda, admonens: Ad quem modum, Div: Paulo, ex Aſia: Auguſtino, ex Africa: ex Italia, Ambroſio: ex Græcia Athanaſio ſublatis, hiſtoria indicio eſt Eccleſiaſtica. Et nos; erepto nobis Gudbrando ſecuritati indulgendum putabimus? Habuit etiam incendium illud portentoſum & alia in hanc ſententiam interpretenda: Sed meum non eſt Lectoris patientia abuti. Præterea quoq; ominoſa videri poterat templi Cathedralis ruina repentina, ruentem & collapſam Antiſtitis ſui valetudinem, menſe ſexto ſecuta: ac ſimul (id quod ex eventu colligitur, ejusdem occaſum & abitum, hac ratione quodammodo locuta. Neque hîc præſagiorum aliter vel ulterius meminiſſe viſum eſt.

Porrò calamitates, Domini Epiſcopi mortem aliæ comitatæ; aliæ ſubſecutæ, variæ ſunt: calamitoſum nobis Viri tanti obitum; non obſcurè deſignantes. Dum illo ipſo Julio & ferè iiſdem diebus, qui nobis Dn. Gudbrandum ademerunt, latrones & piratæ imaniſſimi, Islandiã rapinis, incendiis, cædibus & nullis nõ maleficiis adorti ſunt: cõtra

omnium

omnium hominum & annalium memoriam: Centenis aliquot hominibus promiscui sexus ac ætatis, in littus, ut fama est, Africanum, avectis. Interim tota Insula trepidat: Naves mercatorum Danorum aliquot interripiuntur: ipse Præfectus, cum suis, in periculo est. Et Deus ipse tam acri, funesto & cruento flagello, velut Campanâ, signum dedit; quomodo, ingratissima erga Deum Insula, divinis beneficiis, tum aliis, tum etiam per Dn. Gudbrandum & collegas exhibitis, abusa; amisso vel jam jam amittendo Patri Patriæ, justa solutura foret. Sed & annona miserè flagellata; imò, dira fames, altero ab obitu Antistitis nostri annô, passim grassata, de eodem admonuit: Quam in Cathedræ vicinia, defuncti hæredes, eleemosynâ posthuma, eaquè bene larga, & jam olim, ejusdem testamento demandatâ, apud multos sublevarunt, Hoc nihilominus Annonæ flagellum, in hunc ferè diem prorogatum, incolarum stragem & internecionẽ minatur; cum pace, nuper, cœlum, terra, & maris tractus in circuitu, Deo clementissimo & nostri miserto jubente, spem vitæ faciunt. Interim verò ut hæc cene cedant; tamen malorum illud tristissimum & maximè horrendum, Piratarum metus, omnes meritò habet sollicitos, Quod malum, ut plurima; nullum dubium est, quin pientiss. noster sanctæ M. Antistes, ut Moses alter & Samuel, de nobis sollicitus, à cervicibus Ecclesiæ, votis suis: sanctisquè interpellationibus, etiam morbo jam prostratus, averterit: seseque Rupturæ imminenti (quæ Ezechielis Phrasis est) dum licebat, opposuerit.

Eleemosyna Dn. Gud. posthuma, famelicis erogatur Cathedri Colonis.

Vos itaquè jam sacrorum præpositi, ad Ecclesiæ retinacula & clavum relicti, animis adeste: Arma Ecclesiæ, pro Ecclesia, expedite, cum collegis: Somnolentos alios;

alios

alios altùm ſtertentes, in excubiis tamen vobiſcum poſitos, expergefacite, ut ſe vobiſcum ad manifeſtam rupturam, Deo & Domino irato, qua par eſt, devotione ſiſtant: Nam vix eſt, ut vulgi promiſcui ſecuritatem excuti ſperetis. Nec vos propterea in ſtatione veſtra ſatis ardua defatigemini: Sed vel Gudbrandi noſtri deſideratiſſimi exemplo, perduratè: nequè Eccleſiæ, quantum in precum, exhortationum, Zeliquè divini ſubſidio, poſitum eſt, deſitis. Ad eas vero ſacras excubias, viros è plebe primores, vobis quoquè conciliate; ita, ne interim ſeculi proterviæ palpus fiat: Vosq; hanc apoſtrophen paræneticam, quam malorum commeritorum & præſentium, communis extorſit metus, æqui boniquè facite. Res (quod ſcimus) ſeria agitur & ſeriò: &

Qui non eſt hodiè, cras minus aptus erit.

Cæterùm jam in luctu funebri, animiquè, quodam velut ſqualore, noſtra diutulè verſatur Oratio; vulneraq; vix primum coaleſcentia, contra votum, recrudeſcunt: ad quæ delinienda, paſtilli, vel malagmata aliqua, ex Dei noſtri Pharmacopœo petenda erunt. Unde verò incipiam? aut quâ inſiſtam viâ? vel; Quia ſumma omnium, in cœleſti aromatopolio ſuppetit copia, quid potiſs. eligam: Omnia ſanè mihi obvia, ipſis quoque mœſtitia affectis patent: & Orationis inſtitutæ modus, non multa, nedum omnia admittit. Saltem igitur, in hoc lamentabili, rerum animorumquè Statu; Viri aliquando, in univerſo Dei noſocomio afflictiſsimi, ad malum radices altius agens leniendum.

Ambroſios ſuccos & odoriferam panaceam

adhibere, non erit inconſultum: Obiter quidem; ſed ut ſpero, non inefficaciter. JOBUS is eſt, ô amici, famoſiſ-

ſimus ille Cruciger: & athletarum in Dei exercituũ, exercitu, exercitatiſſimus (quæ paronomaſia, licet duriuſcula, nemini dura ſit) in terra HUS, ſive rerum potitus: ſive alioqui præcipuus incola: Ab Hus, Nacoris fratris Abrahami, filio primogenito, uti quidem exiſtimant, oriundus: ut vel hinc appareat (cùm paſſim aliunde) non plebejos ubiquè & abjectos, cœleſtis Imperatoris ſtipendiis militare. Quid igitur omnium eſt, quod JOBUS ille, non ſuo tantùm interno & externo flagello, ſed X. liberorum præcipiti interitu, præter omnium externorum bonorum jacturam, miſerrimus, ex universâ Spiritus S. medicina arripuit! Dominus, inquit, dedit! Dominus abſtulit: [& quanquam aliquæ verſiones omiſerunt; tamen LXX: & vulgata habent: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt*:] *Sit Nomen Domini benedictum*. &c. Et ita quidem ſecum primò agens & tacitè quaſi diſputans, B. Jobus; impatientiæ fluctus primos compeſcuit; à JUSTITIA, petito argumento: Cujus analyſis non parum juvabit. Fiunt enim attrita manu aromata, fragrantiora:

Propoſitio, quam ut notam & confeſſam omiſit; talis foret:

Si quis quod ſuum & non noſtrum eſt, à nobis repetat &c. Æquo animo ferendum eſt. Id quod ipſo jure naturæ adeò conſtat; ut ei vel Ethnici acquieverint: ſicut aliud jus, in rem datam & ablatam poeta urget:

——— *Ille qui donat diadema fronti.*

Aſſumtionem porrò habent verba; Dedit & cùm volet, aufert: abſtulit: *hujus ſententiæ Bona &c: amicos, cognatos auferendo nobis; Deus, quæ ſua & non noſtra ſunt, repetit. Ratio eſt*: *Quia ipſe dederat (idq; ad tempus de quo alibi*

alibi) *Quod & planum est ex ijs, quæ præcesserunt:* Nudus egressus sum: &c. *Astipulante Apost: Quid habes, quod non acceperis? & aliàs; nihil intulimus in mundum, &c.*

Firmissimè igitur Jobus concludit; Adversus Deum non fremendum esse (quod ipsi caro, mundus, amici & Satanas svadebant) sed omnem Dei voluntatem æquo animo ferendam. Quæ conclusio subjectissima continetur εὐλογία, sit nomen Domini benedictum. Quam itidem pius animus, ingenua valde confessione, à Spiritu S. aliàs dictata, amplificare & exornare solet: Justus es Domine & rectum judicium tuum: Omnia judicia tua æquitas & justitia: Quæcunque fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti; quia peccavimus tibi. &c.

Sed & in voce Dominus, quater ibidem repetita, magna *Relatorum vis* & valor inesse videtur: à Domini in servos voluntate & jure strictiss. quo servi ad obediendum & obtemperandum tenentur. Superato primo tentationum fluctu alius assurgit: ab uxoris stultitia: quam Dei athletes novo argumento sic repulit: siquidem *Bona* (immerita) de manu Domini suscepimus: Unde hæc improbitas; ut *Mala* (commerita) recusemus? An verò mercedem suam quis jure recuset. Jam vita (cum suis) Donum: Mors (cum suis annexis) stipendium est: Quod suo videlicet loco Ap: artificiosè urget.

Hæc ut valida satis sint medicina, auget nihilominus dosin confortativam noster ille Archiater, recenti iterum Argumento: eoquè Achilleo, à Resurrectione carnis, & animarum carissimarum restitutione, petito [scio quod Redemtor meus vivit, &c] Cum jam satis superquè ab amicis, tandem protervis, divexaretur; Quo lenitivo pharmaco, immodicum (sive ob nostram immi-

 nentem

nentem, sive amicorum immissam mortem) multos interim nimium macerantem luctum, elevat ac velut unico ictu perimit. Mortui: & nos in vita relicti, in mutuam conversationem, brevi à Redemtore sumus congregandi. Ergò immodicè dolendum non est. Cujus χανοίας immotam complexionem, seu alteram consequentiam, suo exemplo proposuit: De se ita protestatus: etiamsi occiderit me; tamen in ipsum sperabo. Nihil ad hunc vulnerum & dolorum cordis nostri archiatrum, ullus præstantissimus alioqui Hippocrates; ullus Galenus: Paracelsus ullus. Hoc ego vobis, ô exulceratæ animæ, atquè à Parentis vestri funere, adhuc aliæ madentes, aliæ languentes; B. Jobi medicamentum pancrestum, sanctum esse jubeo; cum reliqua verbi Divini ambrosia conjungendum. Utimini, utimini: mentiar si non cum omnibus piis subscribatis: Probatum est. Sacra dico hæc oracula quibus ipse se Parens vester sanctiss. memoriæ semper & ubiquè sustentabat, non obiter, non theoricè saltem possidete: sed practicè: vel recenti duorum martyrum exemplo; Qui procul dubio lenitivo hoc pharmaco dolorem & metum mortis excusserant: Joh: Huss: & Hieronimus Pragensis hi fuerunt; ipso nomine & martyrii genere notissimi; Quorum prior, Rusticum, rogo in quo cremandus erat, velut ex devoto contra hæreticum officio; cum animadverteret, lignorum sarmenta sufficientem; subridens dixit: ô sancta simplicitas. Posterior palum, ad quem mox alligandus erat, flexis genibus veneratus, canere cæpit: Salve festa dies &c. An verò salubre illud ex Spiritus S: μυροθηκίῳ depromptum Nephentes, & mortis horrendæ istis martyribus oblivionem inducens, vestrum utut acerbissimum lenire posse dolorem desperem? Non

faciam

faciam. Possem hîc ad alios consolationum fontes descendere; unde Syrupos vestro malo congruentes haurirem: Qualis est, amplificatio bonorum de manu Domini susceptorũ (ut in sacræ Scripturæ phrasi persistam) parentis tanti, tam præclari, tantam ætatem â Deo vobis indulti: tam largæ hæreditatis, qua in posterum gaudeatis feliciter: Parentis tam sanctus & salutaris exitus: Parentis, inquam, non amissi sed præmissi, ad quem in Gloria cœlesti, cum primis visendum, amplexandum, fruendum, quotidie, quavis hora, sine fuco invitamini: saltem; ut vicissim Deo, ultimum illud fati punctum libenter & submisso animo permittatis. Hæc inquam & huc spectantia consolationis argumenta, copiose proponi possent. Sed parcior hîc ero; ne primo & præsentissimo alexipharmaco, diffidere videar.

Unicum tamen illud, non possum non eloqui; quantum videlicet Deo, propter optatum in Ecclæsiæ Cathedra successorem debeatis: Reverendum ajo & clariss: Dn. Th: Sculonium; tam vestri amantissimum; quam sanguine proximum: & in quo summa vobis spes esse poterit; ut jam quasi damni dimidium, hac parte â Deo resarcitum, non immeritò agnoscatis & fateamini. Quem etiam virum, ut vestræ ac Ecclesiæ, de se conceptæ spei & opinioni, liberaliter respondeat, bonis omnibus ego prosequor.

Nobis verò omnibus, abrepto dulcissimo & desideratissimo Gudbrando nostro, sic exsauciatis, ariditatis & angustiis plenis, hæc sit communis & quotidiana, ad patrem jure corripientem, supplicatio: *Agnoscimus Domine; quia peccavimus; veniam petimus quam non meremur: MANUM TUAM PORRIGE LAPSIS. &c.* Enimverò (amici) si hæc facta sunt, in ligno viridi; &c, *Jerem. 14.*

Atque sic de vita & obitu (vel duplicata ætate dignissimi) Dn. Gudbrandi Thorlacii, dicta hæc sint paucioribus quam debui: Ubi licet omnia ad nominis ac famæ ipsius *immortalitatem* conspirent; typographica tamen officina, hic excitata & erecta: tum eidem conjunctus labor & sumtus Biblicus inæstimabilis, ad sementem verbi D: liberaliter faciendam adhibitus, palmam sibi facile vendicant. Qua de re, secundum Deum, jure optimo, Lyrici versibus gratulari sibi, Dn. Gudbrandus potuisset; dicentis,

Exegi monumentum ære perennius,
Regaliq; situ Pyramidum altius:
Quod non imber edax, neve Aquilo impotens
Possit diruere: aut innumerabilis
Annorum series: aut fuga temporum.
Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit libitinam: usq; ego postea
Crescam laude recens: &c.

Ab eo tamen, quod gratulabundus sibi Pöeta subjungit ibidem, noster hic semper & longe omnium fuit alienissimus:

——— Sume superbiam
Quæsitam meritis: & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Quem quidem Horatius summum sibi decrevit honorem: At suo Gudbrando, cœlestis ille βραβευτὴς, longe alium.

DA-

DABO TIBI CORONAM VITÆ. Apoc. 2.

MEritissimum autem incomparabilis & clariss. Viri encomium, unde quamvis oratione & crassa minerva, his pagellis expositum, non me contineo, quin noto & vulgato satis epiphonemate concludam: Iterum atque iterum replicando.

Quippe, quod fidelis fuerit usq; ad finem.

Nulla ferent talem secla futura virum.

Dixi.

1630.